

Ad tertium distinguo antecedens: demonstratur a posteriori concedo: a priori autem nego antecedens: nam hoc modo potius predicari de multis demonstratur per esse unum in multis.

Ad argumenta in tex. Doct. vniuersale non habere proprietates, respondet Doctor, notando pro solutione primi, & secundi: quod vniuersale, vel quodlibet aliud predicabile, potest sumi, vt quid, vel vt modus: quando sumitur, vt quid, est, ipsum considerari secundum suam propriam quidditatem, & essentiam (substantia enim, natura, essentia, & quidditas idem important, licet non e conuerso se inferant) vnde sicut vniuersale habet essentiam, ita & quidditatem: & ideo sumitur, vt quid, quando secundum suam quidditatem consideratur: sumitur autem, vt modus, quando est ratio, sub qua aliud intelligitur: vnde sicut homo potest intelligi, vt vniuersale; & tunc homo intelligitur vt quid; & vniuersale, vt modus: ita genus, species, differentia, & proprium, imo & ipsum vniuersale, possunt intelligi, vt quid, & tunc vniuersale erit ratio sub qua, vel modus, sub quo, illa intelliguntur. Itaque quando vnum quodque predicabile accipitur vt intelligibile, vt obiectum, vt determinabile, & tanquam generaliter principale, dicitur accipi, vt quid: quando autem accipitur, vt est ratio sub qua, vt determinatio, vt accidens obiecti, & vt accessorium, seu minus principale, tunc dicitur accipi, vt modus: pro quo videatur etiam Doctor quaestione tertia quodlibet.

Ad primum & secundum hac distinctione praemissa respondet Doctor ad primum & secundum, quod vniuersale non predicatur de sua passione sumptum, vt quid; sed sumptum, vt modus, ac denominatiue: sed hoc secundo modo sumptum non est subiectum passionis: & ita non sequuntur inconuenientia illa.

Ad tertium Ad tertium clara est responsio in textu: qua doctrinam etiam tradit Doctor in quarto distinct. 12. quaest. 2. vbi corrigit allegationem textus Aristotelis, qui hic corrupte allegatur.

Ad quartum Ad quartum concedit Doctor hanc maiorem: omnis passio est minus ens suo subiecto: & est vera Logice loquendo; vt hoc modo, vnum, & verum, respectu entis excludantur, cum ex quarto Metaphysic. text. 3. eandem naturam significant, Metaphysic. tamen: & est etiam vera Metaphysic. dum modo ly, minus, sumitur pro posteriori: nam passio est posterior natura suo subiecto.

Sed contra solutionem minoris instatur primo, minoris perfectio sunt entia rationis, quam entia realia: sed habere gradus perfectionis remouetur a relationibus realibus: ergo multo magis debet remoueri ab entibus rationis: ac per consequens doctrina Scotica gradus in entibus rationis admittens non est tenenda.

Secundo, capiatur ens rationis in ultimo gradu: quod est aut est intelligibile, aut non: si hoc secundum: ergo non est ens rationis: si primum: ergo nullo modo datur minus: quia intelligibilitas est passio illius entis minoris: ac per consequens debet esse minor illo.

Tertio, illa minor debet absolute concedi: nam comparatiuus gradus confundit contentum, & distributiue suum casuale, nisi impediatur: & ita debet distribui: omne ens minus isto entem rationis, & isto; & sic de singulis est non ens: igitur absolute illa minor debet concedi: quare ex ignorantia huius distributionis procedit Doctor.

Ad primum licet Franciscus teneat illam minorem contra mentem Doct. in primo Anglico, & primo Reportationum quaest. 26. nego illam: nec habeo pro inconuenienti entia rationis habere suam perfectionem eo modo, quo habeat quidditatem.

Ad secundum suppositio est falsa: nam in secundis intentionibus non datur status: sed suppositione admitta, dico: quod illud vltimum ens ita erit quod, & ratio intelligedi, vt non sit quod: & ita erit per accidens intelligibile.

Ad tertium, quod Doctor illam distributionem exprimit, dum aliam entem rationis datur gradus: vnde concedit, quod minus ens entem rationis est non ens: ceterum quia passio vniuersalis, licet sit minus ens, quam ipsum vniuersale, non est minus ens omni entem rationis: & ideo illa minor optime a Doct. distinguitur.

QVÆST. IIII.

An vniuersale sit subiectum libri Porphyrij?



V I S O, quod vniuersale habet conditiones requisitas ad subiectum scientia: quia videlicet est ens, & distinctibile, & passiones habes de eo demonstrabiles: queritur nunc, an ipsum vniuersale sit ipse libri Porphyrij subiectum? Quod non videtur: quia aut vniuersale, in quantum est intentio: aut in quantum est applicabile rei: non primo modo: quia sic intentio habet a Metaphysico considerari: probo: quia Metaphysicus considerat quodlibet, in quantum ens: igitur, & intentionem, in quantum est ens: igitur intentionem, in quantum est intentio: quia idem est intentio, in quantum intentio, & in quantum ens: sicut idem est homo, in quantum homo: & homo in quantum ens: nec secundo modo: quia sic est illud totum ens per accidens, de quo non est scientia.

Item

Item: omnis scientia realis est de vniuersali: quia singularium non est scientia: cum igitur haec sit scientia rationalis, non erit de vniuersali.

Item: hic determinatur de istis quinque sub propria ratione, diuidendo, & definiendo quodlibet per propria sibi, nullam faciendo mentionem de vniuersali secundum se: nec quoad eius quod quid est, nec quoad passiones: ergo haec quinque erunt subiectum, & non vniuersale.

Ad oppositum: haec scientia est vna: ergo habet vnum subiectum: ergo haec quinque non sunt subiectum, nisi secundum quod conueniunt in vno communi, quod erit primum subiectum; & illud est vniuersale.

Quaestio appendix.

Iuxta hoc queritur de vnitatem istorum quinque, in hoc, quod est vniuersale: an videlicet vniuersale sit vniuersum ad haec quinque: quod non: primo: quia omne vniuersum multis se habet ad illa sub ratione alicuius vniuersalis: vniuersale non comparatur ad haec quinque sub ratione vniuersalis: ergo, &c. probatio minoris: quia non sub ratione alicuius istorum quinque: quia nullum istorum conuenit alijs: sed quodlibet est distinctum ab alijs: si ergo sub ratione alterius, erit sextum vniuersale.

Dicitur: quod comparatur ad haec quinque sub ratione generis: quia predicatur de istis in quid: & haec inter se differunt specie.

Contra hoc: si vniuersale est genus ad haec quinque: ergo quodlibet istorum est species: ergo genus est species: quod est falsum: quia species opposita non predicatur de alia cum hoc verbo est: sed genus, & species, sunt species disparatae sub vniuersali: si vniuersale ponatur genus istorum quinque.

Item: genus non predicatur de speciebus, secundum magis, & minus, per Porphyrium capit. de Differentia: vniuersale predicatur, secundum magis, & minus, de istis: quia genus est vniuersalius, quam species: vel Differentia: predicatur enim de pluribus. Ergo, &c.

Ad oppositum. Vniuersale predicatur

secundum nomen, & secundum rationem: igitur vniuersum: consequentia patet per Arist. in principio Praedicamentorum: antecedens est manifestum: quia quodlibet istorum est aptum dici de pluribus, per quod diffinitur vniuersale primo Perihermenias.

Ad illam quaestionem dicitur: quod vniuersale est analogum ad haec quinque: per prius enim dicitur de genere: per posterius vero de alijs: vt patet per tertiam rationem ad primam partem: & secundum hoc respondetur ad aliam quaestionem: videlicet quod vniuersale non est hic subiectum: sed quinque vniuersalia: & tamen scientia est vna propter vnitatem primi, ad quod omnia alia attribuantur, quod est genus.

Contra hoc: in omni genere est aliqua species, quae perfectius participat naturam generis, quam alia: ideo dicit Naturalis: quod in genere latent aequiuocationes septimo Physicorum: sed Logicus ponit genus vniuersum propter vnitatem rationis: igitur Logice loquendo vniuersale poterit esse genus istorum quinque: licet genus aliquo modo sit perfectius alijs.

Item: quoad solutionem alterius quaestionis non dicitur conuenienter, vt videtur: quia in principio septimi Metaphysic. ex hoc quod substantia est primum ens, concludit Aristot. Quapropter solum, & maxime, & primum de substantia speculandum est: ex quo accipitur; quod ad determinandum de multis dictis per attributionem ad aliquod primum, sufficit determinare de illo primo: secundum hoc igitur sufficeret Porphyrio determinare de genere tantum.

Item: ratio sic ponentium non concludit: quia numerus est multitudine ex vnitatibus aggregata: tamen non dicitur analogice de binario, & trinario: licet trinarius sit ex pluribus vnitatibus: sed simpliciter vniuersum.

Propter hoc, & propter rationem supra positam ad oppositum quaestionis: dicendum; quod vniuersale vniuersum predicatur de omnibus istis quinque.

Ad primum argumentum dico: quod intentio generis sibi applicatur respectu istorum quinque. Cum autem

H 4 dici-

dicitur, quodlibet istorum est distinctum ab alijs: verum est: ideo non predicantur de se inuicem prædicatione essentiali, & exercita: nec aliquid de vno istorum sub ratione alterius: sed prædicatione signata: quia ratio generis est extranea vniuersali, quando vnitur illis per hoc verbum, est: sicut, & animali; quando dicitur: homo est animal.

Ad primum argumentum contra hoc: concedo; quod quodlibet istorum est species: nec est inconueniens species eiusdem generis in accidentibus de se inuicem denominatiue prædicari.

Contra: inconueniens est in speciebus eiusdem generis: nam sicut hæc est falsa: albedo est nigredo: ita hæc: album est nigrum.

Dico; quod non est verum vniuersaliter: licet forte in absolutis ita sit: non tamen in reatiuis: nam idem est Pater, & Filius: qua ratione enim sequitur: Pater huius: ergo Pater: patri ratione sequitur: Filius huius: ergo Filius: sicut igitur accidentia stant simul, sic etiam consequentia similiter: & reatiua talia possunt dici de eodem, & de se inuicem, non tamen reatiue opposita: quia non sunt opposita, nisi respectu eiusdem. Sunt autem reatiua secundum rationem communem suam: Pater enim primo refertur ad Filium; non pater huius ad filium huius: ita in proposito: genus est species, sed non respectu eiusdem.

Aliter dicitur: quod tales propositiones: genus est species: possunt esse veræ denominatiua prædicatione: quælibet enim istorum intentionum potest accipi, vt quid, vel vt modus: quando enim est illud, quod intelligitur, tunc est quid; quando autem est ratio sub qua aliquid intelligitur, tunc accipitur vt modus: secunda igitur intentiones non opponuntur, nisi vt vtraque accipitur, vt quid, vel vtraque vt modus: hic autem, genus est species, vera est; vt genus accipitur vt quid: quia in comparatione ad vniuersale, quod est genus suum: species vero, vt modus: quia sub tali modo intelligitur genus respectu vniuersalis.

Sed si inferatur: ergo prædicatur oppositum de opposito: fit fallacia figuræ dictionis, commutando modum in quid; vel e conuerso: verbi gratia, plurale est singulare; hæc est vera; vt plurale accipitur, vt quid, & singulare, vt modus: quia quod significatur per singulare, est modus eius, quod significatur per plurale: nec sic est oppositum. Dicitur tamen: quod etiam singulare dicit quid: quia accipitur pro suo significato respectu subiecti: plurale dicit modum: quia accipitur pro suo modo respectu prædicati: nam pro re significata non inest sibi prædicatum: & si vtroque modo sumatur, non est differentia ad propositum.

Ad aliud dico: quod genus non est magis vniuersale: quia magis dicit intentionem formæ eius, cui adiungitur: sed est quodam modo maius vniuersale: quia extenditur ad plura: quemadmodum quaternarius est maior numerus binario, non magis: sicut etiam vna species specialissima non dicitur magis species, licet plura sub se habeat contenta.

Ad primam questionem dicendum: quod vniuersale est huius scientiæ subiectum: cum enim tres sint principales conditiones subiecti; vniuersale primam habet: supponitur enim hic quid est, & quia est, tanquam notum: nec enim esset possibile aliquam speciem eius scire, ignoto de ipso quid est, & quia est: hic autem eius species diffiniuntur. Nec oportuit hic diffinitionem vniuersalis poni, quam supponit Auctor insufficienter assignatam fuisse ab Aristot. primo Perihermenias, vel primo Posteriorum. Vnde ratione vniuersalis, scilicet prædicari de pluribus, vtitur in diffinitione istorum quinque vniuersalium.

Habet etiam secundam conditionem subiecti; quia si qua passio vniuersalis est, de his ostenditur per rationem vniuersalis: illa per hoc ostenditur de vniuersali, tanquam de proprio, & primo subiecto: & si de vno aliqua passio hic demonstratur per rationem vniuersalis, quæ est prædicari de pluribus: etiam hoc ostenditur de vniuersali: quia medium demonstrationis æquatur passioni: aliter esset communis, & fallacia consequentis: sed hoc fit hic, vt patet.

ter: quia differre ab individuo, demonstratur de genere per hanc particulam prædicari de pluribus: & ita supponitur de alijs posse ostendi.

Tertia conditio manifesta est: quia quodlibet istorum est eius species: cum ipsum diuidatur à Porphyrio in hæc quinque: postea enim generis diffinitione, ad eius declarationem ponit diuisionem, cuius vnum membrum est prædicari de pluribus, per quod intelligitur vniuersale, quod subdiuidit in hæc quinque.

Ad primum argumentum dico: quod hæc diuisio non est per opposita: quia intentione, secundum quod intentio, est applicabilis rei: vnde concedo vtrumque membrum, cum sint idem.

Cum autem obijciatur contra primum membrum: dici potest: quod Metaphysicus omne ens reale considerat, non ens rationis, cuiusmodi est vniuersale, vt hic loquimur. Vel si concedatur, quod considerat intentionem, in quantum ens, non tamen sequitur, quod intentionem, in quantum intentio: quia non sunt idem: quod vniuersaliter accidit, quando terminus sequens reduplicationem: non significat absolute essentiam: sicut non est idem mobile, in quantum mobile, & mobile, in quantum ens: per hoc patet ad exemplum de homine, quia non est simile.

Quod obijciatur contra aliud membrum de ente per accidens; dico: quod non est ens per accidens, sicut aggregatum: quia res non cadit in intellectu illius totius, vt pars, sed vt terminans respectum. hoc modo intelligitur accidens independentia ad substantiam, nec tamen, vt ens per accidens.

Ad secundum dicendum: quod scientia realis est de vniuersali primo modo, quod est res: sed Logica est de vniuersali secundo modo, quod est intentio.

Ad tertium patet per dicta in solutione questionis, &c.

Summa textus.

QVAMVIS in originali textu, octaua questionis, secundum ordinem numeralem, locum sibi questio hæc appendix usurpauerit: nihilominus, quia Doctor, quando aliquam questionem mouet, sub hoc titulo; iuxta hoc

quæro, vel quæritur; solum aliquid habens connectionem cum principali quæsto interrogat; ideo nos illam quæstioni principali (neut cuius ceps in similibus faciemus) admiscere acereuimus; & ex vtraque solam vnam, secundum ordinem, quæstionem quartam conficimus: in qua Doctor quærit de principali motiuo, propter quod præcedentes mouet; an scilicet vniuersale sit huius libri subiectum attributionis: nam de hoc proprie in scientijs rationalibus indagatur: & licet ordo quæstionum præposterus videatur: saluatur tamen ex prioritate solutionis: nam primo soluit posteriorem, & appropinquat, in qua quæritur, an vniuersale sit quinque prædicabilibus vniuersalium: cui difficultati, improbatæ opinionione Alberti Magni asserentis vniuersale esse analogum ad illa: ac per consequens non esse subiectum huius libri, sed quinque prædicabilia, vt ita simul ad præcipuam quæstionem satisfaciatur; Doctor aliter responderet dicens: vniuersale & vniuersale prædicari de omnibus quinque prædicabilibus: & etiam esse subiectum attributionis in hoc libro; vt patet per tres conditiones talis obiecti discurrendo: tandem ad vtriusque quæstionis argumenta, quæ pro opinione Alberti conferebantur, responderet: vt satis aperte apparet in textu, & clarius patebit articulo sequente; qui sic se habet.

Conclusio.

ARTIC. I.

An vniuersale sit vniuersum, & genus ad quinque prædicabilia.

PRIMA sententia est Alberti Magni, tract. 2. vniuers. cap. 9: quem sequuntur Canttherus in ante præd. cap. 4. Oña quæst. 4. vniuers. art. 3; Suarez disp. 6. Metaph. sect. 8. & alij: affirmantes vniuersale esse analogum ad quinque prædicabilia: & ideo non posse esse subiectum huius libri; sed tale, esse quinque prædicabilia: cum hoc tamen stare, hanc scientiam esse vnam, non ab vnitatis obiecti in se; sed ab vnitatis generis, quod est primum vniuersale in ordine istorum quinque: itaque in tribus consistit hæc sententia: primum: quod vniuersale est analogum ad hæc quinque: secundum: quod non est subiectum huius libri; tertium: quod hæc scientia est vna ab vnitatis principalis contenti sub istis quinque, quod est genus: primum, præter argumenta facta in littera, probatur: illud est analogum; quod prius conuenit vni, & alteri posteriori, vel per primum: sed vniuersale est huiusmodi, respectu prædicabilium: nam prædicari de multis, si conuenit differentia, vel proprio, est ratione speciei: ergo, &c.

Secundum probatur argumentis à Doctore adductis: quæ quamuis hic non apponantur, eorum tamen solutiones adducemus, & examinabimus.

Tertium autem membrum suæ opinionis probat Albertus à simili: nam ens est analogum ad substantiam, & accidens: & tamen est obiectum

1. Sententia

Secundum.

Metaphysica, que est scientia vna, non ab ente, sed a substantia, que est principalis obiectum contentum sub ente: ergo similiter in proposito.

Secunda sententia Doctoris. 1. Not.

Secunda, & opposita sententia, que etiam in tribus alijs oppositis partibus, consistit, est iam communis, cum Doctore in presenti: pro qua notandum primo, quod pro nunc aliquid dupliciter dicitur vniuocum, realiter, & intentionaliter: primo modo adhuc dupliciter, Physice, & Metaphysice: vniuocum Physice attenditur penes perfectionem contrahentium aliquod superius: vnde cum in sola specie infima sit equalis perfectio individuum contrahentium: ideo hanc sola est vniuoca Physice: latent enim in genere equiuocationes: ex 7. Physicorum; vniuocum Metaphysice est omnis gradus realis superioris abstractibilis, & per inferiora contrahibilis: Vniuocum intentionale seu Logicum, est, quod habet vnitatem nominis, & rationis, commune multis per intellectum: quare cum Logicus non consideret quidditates secundum maiorem, vel minorem perfectionem in suis inferioribus; sed solum secundum suum esse commune in multis; vel de multis; hinc apud ipsam nullius communis quidditatis datur conceptus equiuocus, aut Analogus, sed vniuocus tantum.

2. Not.

Secundo notandum: quod sicut in homine, Equo, & Leone, concipimus gradum animalis, qui secundum se consideratus est indifferens ad quamcunque differentiam specificam; & ut est quoddam totum potentiale, denominatur genus ab intellectu: sic a quinque predicabilibus concipimus quendam gradum rationis, qui secundum se consideratus abstrahit a tali modo, vel tali predicandi, & est indifferens ad differentias illas contrahentes, & ut sic, denominatur genus.

3. Conclus.

Dicendum primo, vniuersale est genus vniuocum ad quinque predicabilia: probatur: vniuersale predicatur de istis quinque secundum nomen vnum, & eandem rationem: igitur vniuocum: consequentia patet per Aristot. in principio Prædicamentorum: antecedens est manifestum quia quodlibet istorum est aptum dici de pluribus, per quod diffinitur, (saltem a posteriori) vniuersale. Ex per hoc patet ad tertium membrum.

4. Conclus.

Dicendum secundo, vniuersale Logicum est subiectum attributionis huius libri: probatur primo, hæc scientia est vna: ergo habet subiectum vnum: ergo quinque predicabilia non sunt hic subiectum, nisi secundum quod conueniunt in vno communi, quod erit primum subiectum: sed illud est vniuersale Logicum: ergo.

Nec valet dicere cum Alberto: quod hæc scientia est vna ab vnitatem generis, quod est principalis inter hæc quinque: nam sicut ex 7. Metaph. sufficit Metaphysico determinare de substantia, scilicet, principaliter, & primo; eo quod substantia est primum ens, & metrum omnium accidentium: ita sufficeret Porphyrio ad determinandum de quinque vniuersalibus determinare de genere tantum: & per consequens Porphyrius fuit superfluous ponendo quinque capitula de quinque vniuersalibus, cum sufficeret vnum: quod non est dicendum nec sumis

de vnitatem Metaphysicæ est verum: nam ut in Antepredicamentis videbimus, ens est vniuocum decem predicamentis.

Secundo probatur conclusio: vniuersale Logicum habet omnes condiciones ad subiectum attributionis requisitas: ergo antecedens probatur: nam supponitur hic quid est, & quia est, tanquam notum, non enim esset possibile aliquam speciem eius scire cognitione scientifica, & abstracta (licet bene cognitione confusa) ignoto de ipse, quid est, & quia est: & ita supponitur, ut tradita ab Aristoteli. 1. Perihermenias, vel primo Posteriorum: habet etiam passionem de ipso demonstrabilem; ut supra vidimus: tandem omnia hæc quinque sunt eius species, quæ ad ipsum tanquam ad suum genus vniuocum reducuntur, ergo, &c.

Ad argumenta ad primum, nego minorem: nam ratio formalis vniuersalis æque respicit omnia predicabilia: vnde quod genus perfectius ab hac specie, quam ab illa partem petur, non procedit ex ratione generica ex se, sed ex differentijs ipsam contrahentibus: & cum Logicus hæc perfectiorem contradictionem non consideret; sed solum illam communem rationem, in qua inferiora conueniunt; ideo talis ratio est apud ipsam vniuoca: quare Albertus in Logicalibus non Logicaliter, sed naturaliter loquitur.

Ad primum.

Ad secundum, pro tertio membro patet ex dictis conclusionibus prima, & secunda.

Ad secundum.

Ad argumenta Doct. contra primam conclusionem respondetur. Ad primum, quod vniuersale, sub ratione generis, predicatur de quinque predicabilibus: nam sicut secundæ intentiones istæ vniuersales non possunt de se inuicem predicari: predicacione exercita & essentiali; hæc enim est falsum: genus est species, vel species est genus: bene tamen predicacione signata, & etiam exercita accidentali, & denominatiua: sic de vniuersali in communi est dicendum: hæc enim est falsum: vniuersale est genus: si sit predicatio essentialis: sicut ista: animal est homo: cæterum hæc sunt veræ: Vniuersale predicatur de genere, specie, & differentia: & vniuersale est genus denominationis: quia sicut animalis; si sumatur; ut habet esse in homine, & Leone; vel secundum suum esse quidditatum, est extranea ratio generis; ita ut illi, cum hoc verbo est, conuenire non possit; sic dicendo: animal est genus: quia ut sic, homo non est animal; nam aliter homo esset etiam genus; bene tamen non est illi extranea: si sumatur; ut habet esse abstractum, & præcisum a suis inferioribus: ita similiter ratio generis est extranea vniuersali, quando vnitur istis quinque cum hoc verbo est; sic dicendo: genus est vniuersale; species est vniuersale, &c. nam tunc est de eorum essentia, & quidditate: & ut sic non est genus; sicut nec species est genus; cæterum, si sumatur ut abstractum ab omnibus istis, ut diximus not. 2. tunc optime genus denominari potest. Aliam

Ad secundam Doct. contra primam conclus.

solutionem dat Doctor, de ly quid, & ly: modus, que est clara in textu; de qua etiam supra q. 3. & amplius quaest. sequente;

ARTIC. II.

An secunda intentiones cadant per se sub Metaphysici consideratione.

1. Sentent.

PRIMA sententia communis est inter Thomistas cum sub Magistro 6. Metaph. asserens omnia entia rationis quasi ex obliquo, & concomitanter ad Metaphysicum realem spectantia etiam Suarez 2. tom. Metaph. disput. 54. quæ probatur primo: entia rationis, cum non sint vera entia; sed quasi vmbre entium, non sunt per se intelligibilia, sed per aliquam analogiam, & coniunctionem ad vera entia: ergo nec sunt per se scibilia: ergo nec datur scientia, quæ per se primo propter illa cognoscenda sit instituta: & per consequens solus ille Artifex agat de illis, qui agit de ente reali, cum quo cognoscitur: sed talis est Metaphysicus realis: ergo, &c.

1. Argum.

Secundum.

2. Sentent.

1. Not.

Secundo, quod est scitum, vel apparens, per comparationem ad id, quod vere est, intelligi debet: huiusmodi est ens rationis: ergo, &c. Secunda, & opposita sententia affirmans entia rationis cadere per se sub consideratione alicuius scientiæ rationalis; semper mihi probabilior apparuit; quam etiam defendit Sapientissimus Magister Ioannes Anglicus quaest. 8. & 11. super vniuersalia: pro qua notandum primo quod, ut supra quaest. 1. Proem. art. ultimo diximus, scientia reali in communi non opponitur Logicae stricte, nec late sumpta; sed scientia rationalis in communi, quæ Metaphysica rationalis dici potest: & hæc considerat ens rationis in tota sua latitudine sumptum, secundum propriam quidditatem: sicut Metaphysica realis considerat quidditatem entis realis: & talis Metaphysica rationalis præsupponit Metaphysicam realem, ut acquiratur, quoad simplicem cognitionem sui obiecti: nam ut vidimus, nullum ens rationis potest cognosci, nisi prius intellectus moueatur a speciebus entis realis.

2. Not.

Secundo notandum: quod aliqua sunt de consideratione Metaphysicæ, vel alterius scientiæ; quæ dupliciter: primo per se primo: secundo per se non primo: tertio, reductiue: quarto per accidens. Exemplum primi: ut ens, & passiones entis: Exemplum secundi: ut partes subiectiua entis: Exemplum tertij, ut entitates incomplete: exemplum quartis, ut non entia, priuationes, & negationes: ac entia rationis, sine quorû adminiculo non potest perfecta entis realis cognitio in dagari.

Vlt. not.

Vltimo notandum: aliter considerari secundam intentionem a Logico, & aliter a Metaphysico: nam Logicus considerat eam in concreto, ut applicabilem primis, tanquam tali fundamentum, seu subiectum: est enim applicabilitas passio secundæ intentionis cum illa identificata: Metaphysicus autem considerat eam secundum suam quidditatem, ut ens est præcisum: itaque Logicus

per se primo considerat vniuersale in concreto, ut applicabile naturis communibus: Metaphysicus vero considerat ipsum; ut ens est; & hoc etiam per se primo.

1. Conclus.

Dicendum primo, ens rationis in tota sua latitudine est per se ab aliqua scientia considerabile: probatur primo: illud est per se ab aliqua scientia considerabile, quod est per se scibile: sed ens rationis est huiusmodi: igitur: probatur minorem: illud est per se scibile, quod habet passiones de ipso demonstrabiles, & medium, per quod demonstratur: tale est ens rationis, de quo loquimur: igitur est per se scibile. Minor quoad utramque partem ostenditur: nam sicut de ente reali dicimus habere conceptum obiectiuum realem vniuocum omni enti reali, per quem demonstratur de ipso suæ passiones, quæ sunt vnum, verum, &c. sic de ente rationis in communi est nobis Philosophadum; siquidem per speciem impressam, & expressam, entis realis cognoscitur: qui quidem conceptus entis rationis est causa suarum passionum, saltem in demonstrando: quæ demonstratio fiet hoc modo: omnis conceptus a pluribus abstractus, & non per modum plurium, est vnus: sed conceptus entis rationis, ut sic, est abstractus a pluribus, & non per modum plurium: ergo est vnus.

2. Conclus.

Secundo de ente reali, prout diuidit ens, ut sic, datur scientia per se: igitur & de ente rationis etiam debet dari scientia per se; quia non est maior ratio vnus diuidens, quam alterius, ut ex argumentorum solutione patebit.

Dicendum secundo, ens rationis in tota sua latitudine consideratur per se a Metaphysica rationali. Hæc quamuis expresse a Doctore non habeatur, tamen illi non contradicimus: imo eam ab illo deduco probabiliter ex aliquibus locis doctrinæ suæ: primus sit in presenti, in solutione primi argumenti quæstionis principalis, vbi sic ait: cum autem obijciatur contra primum membrum, dici potest: quod Metaphysicus omne ens reale considerat, non ens rationis, cuiusmodi est vniuersale, ut hic loquimur: ergo tale vniuersale non consideratur a Metaphysico reali; sed a Logico non consideratur, nisi ut est applicabile rebus primæ intentionis, & non ut est ens rationis, ut sic: ergo, ut sic, ab alia scientia debet considerari: sed talis non est Metaphysica realis: ergo est Metaphysica rationalis: ergo intentum probabiliter secundum Doctorem.

Secundus locus habetur infra quaest. 5. de genere §. dicendum igitur: in fine: vbi loquens de genere, ut est secunda intentio, sic inquit: tamen forte, ut quid est, habet diffiniri a Metaphysico. Ex quo sic: sed diffinitio explicat quidditatem generis, ut est ens rationis: & nihilominus dubitat Doctor, an debeat dari a Metaphysico: ergo ab alio potest dari: sed non a Logico ex ratione præcedente: ergo a Metaphysico rationali.

Tertius locus sit ex tertio sent. distinct. 34. lit. D. vbi habitum acquisitum speculatiuum diuidit in realem, & rationis; vel quia est circa ens reale, & ens rationis: & eni, qui est circa ens reale diuidit ex 6. Metaph. in Mathematicam, Naturalem,